



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

123.

Vbi Trid.
non est re-
ceptum, vi-
detur posse
fieri redu-
ctio pro-
pria aucto-
ritate.

Coroll.

Can.
Sot.

Quod suf-
ficat ad me-
diocrem
victum, ta-
tum cen-
setur suffi-
cere ad hone-
stam suste-
ntationis
partem.

Iustitia sti-
pendij spe-
ctanda est
ex commu-
ni statu sa-
cerdotum
non ex co-
nditione per-
sonæ in
particulari.

percipere partem fructus sacrificij, quam omni priuari, dum non potest integrè singulis satisfacere.

Dixi, *consultum*, quia vbi Trid. non est receptum, in rigore loquendo, Capellanus, cui non competit iustum stipendium pro celebrandis tot sacris, quot præscribuntur ex litteris foundationis, videtur posse suâ auctoritate reducere ad numerum competentem: nam acceptando beneficium non censetur se velle obligare ad plura onera, quam iustum stipendium requirat. vbi tamen Trid. receptum est, non videntur priuati id posse facere, vt colligi potest ex c. 4. citato. Dicta de reductione intelliguntur, seposito decreto Cõgregationis citato: nam per illud prohibetur Episcopis & Generalibus reducere onera Missarum celebrandarum, præscribiturque vt pro reducendis, moderandis, commutandis ad sedem Apostolicam recurratur, & aliter facta decernuntur nulla, & inania.

Denique ex hæcenus dictis facillè colligi potest, quid dicendum de paupere sacerdote, num scilicet ei liceat plura stipendia accipere pro vno sacro faciendo. Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 13. ad 10. §. *alterum argumentum*, & Sotus lib. 9. de iustitiâ, quæst. 3. art. 1. §. *subsequitur ergo*, censent sacerdotem posse accipere tot stipendia, quot sunt necessaria ad vitam vno die sobriè sustentandam, immò aliqui eis tribuunt, quod censeant tantum posse accipi, quantum requiritur ad statum, scilicet ad vestitum, alimentum &c. quod tamen non videntur sentire, vt patet ex locis citatis, & ex Soto dist. 13. quæst. 2. art. 1. §. *quocirca*.

Sed absolutè dicendum non posse vnumquemque tantum accipere, quantum is priuati iudicat necessarium etiam ad victum, sed quantum lege, vel communi æstimatione censetur requiri ad iustum stipendium, quod non debet constitui ex indigentia vnius vel alterius, sed ex eo quod censetur tali loco, vel tempore necessarium ad honestam saltem partem sustentationis sacerdotum. Dico, partem, quia, vt supra, ad hoc vt stipendium sacri censetur iustum, non debet esse sufficiens pro integrà sustentatione, cum sacerdos possit etiam sustentari ex pluribus alijs ministerijs suo gradui conuenientibus, & ita videantur Episcopi iudicare in stipendio sacri constituendo. Vnde sententia Cani & Soti intellecta de necessarijs ad victum, & quidem iuxta communem æstimationem, non videtur improbanda, vt etiam aduertit Lessius in hunc art. dub. vltimo, cum id quod sufficit ad mediocrem victum solum censetur sufficere ad honestam sustentationis partem. nam sustentatio hominis plura alia requirit, quam victum, atque ita qui ex aliquo stipendio non tantum habet, quantum eo loco communiter censetur requiri ad victum moderatum vnius diei, quantum est ex rei naturâ potest alterum stipendium accipere pro eadem Missâ, quia prius non fuit iustum, quod etiam locum habet in sacerdote diuitie, quamuis de eo non nihil hæreat Sotus loco de iustitiâ citato, quia quod aliundè habeat, vnde alatur, non obstat quò minus iustum stipendium ei debeatur ab ijs, qui sacrum procurant, quodque iuste alijs dari solet, & debet, quod addo, quia ex eo quod fortè pluribus indigeat, quam pauper, non potest plus exigere, quam id quod communiter censetur iustum stipendium, cuius iustitiâ spectanda est ex communi statu sacerdotum, non verò ex conditione vnius personæ in particulari. Sententia Soti aliter intellecta videtur planè improbabilis, & in praxi parum secuta. Neque etiam recipienda

est sententia, quæ dicit stipendium posse accipi pro soluendis debitis, libris comparandis, alendis fratribus &c. quia contra commune iudicium stipendium nimis extendit.

ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis?

NOTANDUM, quantum ex discursu S. Tho. colligitur, titulum intelligi de determinatione quoad diem, & quoad horam diei, & quoad vtrumque.

Responsio est affirmatiua, cum enim quotidie indigeamus fructu Dominicæ passionis, sacrificium Missæ conuenienter quotidie offertur: quia verò Dominus passus est ab horâ 3. vsque ad nonam, aptè regulariter illâ diei parte sacrificium in Ecclesiâ celebratur.

DVBIUM I.

Vtrum sacerdos possit omnino cessare à celebratione?

DVPIEX in genere hac de re est sententia.

Prior negat sacerdotem villo præcepto per se loquendo, obligari ad interdum celebrandum. citatur Alensis 4. parte quæst. 51. art. 2. membr. 2. qui tamen solum docet quod postmodum docuit Caiet. infra citandus, citatur etiam Bonau. in 4. dist. 12. parte 2. art. 2. quæst. 2. in corpore, & ad 3. & ad vltimum, qui tamen propriè non agit de nostro casu, vt legenti patere potest.

Posterior sententia tenet, etiam omnibus alijs sepositis, sacerdotem teneri aliquando celebrare. ita S. Thom. quæst. 82. art. 10. Dur. dist. 13. qu. 2. Rich. eadem dist. art. 2. qu. 2. Sotus qu. 1. art. 10. §. *at verò*, Nau. cap. 25. num. 88. & innumeri alij, tam antiqui, quam recentiores passim citati.

Hæc sententia est omnino verior. Probatur ex Trid. sess. 22. cap. 1. vbi postquam dixisset Christum corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri in cenâ obtulisse, subiicit: *Ac sub eorumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc non Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent tradidit, & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.* ex quibus verbis Concilii varia videntur aptè colligi. 1. singulos sacerdotes, per se loquendo, obligari sacrificium aliquando offerre. 2. ad id obligari ex præcepto diuino. 3. præceptum hoc illis verbis contineri: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Probatur, Concilium colligit præceptum ex illis verbis, ergo dicendum per illa non tantum dari potestatem offerendi, sed etiam præceptum imponi ijs, quibus datur potestas, & non tantum Ecclesiæ, & illius pastoribus, quia Concilium censet illis verbis imponi præceptum successoribus Apostolorum in sacerdotio, per quos intelliguntur omnes, & singuli sacerdotes legitime ordinati.

Confir. Christus præcepit singulis Apostolis, vt offerrent, antequam essent pastores reipâ constituti, cum ad hunc gradum euecti sint solum post resurrectionem, igitur illis, vt sacerdotibus, præceptum

ceptum est impositum. quod confirmant illa verba Concilij, *Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebant, ut offerrent, præcepit.*

Cum Doctores in eo conueniant, discrepant tamen inter se de grauitate culpæ. Aliqui censent esse veniale, Caiet. in art. 10. citatum, S. Thom. Vult. in summa num. 94. quorum sententiam probabilem censet Suarez disp. 80. sect. 1. §. *hæc res dubia*, Henriquez lib. 9. cap. 23. num. 2. & alij. Alij verò censent esse mortale, Sotus, Nau. suprà. Sylu. verbo *Missa* 1. quæst. 7. §. *quantum*, Angelus eodem verbo num. 44. quam etiam magis probat Suarez suprà, & tanquam magis piam & securam censet consulendam.

Quæ sententia est omnino verior, & supposito præcepto interdum celebrandi, non apparet quomodo, per se loquendo, solum sit veniale illud transgredi: cum materia sit grauis, ergo cum non constet legislatorem nolle obligare iuxta exigentiam materiæ, dicendum transgressionem præcepti esse mortalem, atque adeo sacerdotem nunquam celebrantem mortaliter peccare, non solum propter causas extrinsecas, v. g. propter scandalum, quod alijs præbetur, sed præcisè ratione præcepti grauius obligantis.

Difficultas est quandonam illud præceptum obliget, seu quam frequenter teneatur sacerdos celebrare, ut diuino præcepto satisficiat.

Resp. non tam posse præcisè assignari tempus, quo vrgeat præceptum, quam quo non vrgeat, & imprimis omnino est improbabilis sententia eorum, qui censent sacerdotem teneri singulis diebus celebrare, quia nullo firmo nititur fundamento, & repugnat praxi etiam timoratorum & prudentum. reiectâ hæc sententiâ.

Aliqui censent sacerdotem teneri celebrare præcipuis anni festiuitatibus, quibus fideles consueuerunt communicare. videri potest S. Tho. art. 10. citato. Alij propter capitulum, *Volentes*, de celebratione Missarum, censent teneri celebrare ter, vel quater in anno, sed, ut dixi, non videtur facile posse tempus determinari, & sacerdos videtur huic præcepto satisfacere si semel in anno celebrat. vbi obiter

Aduerte 1. quod si non celebret tempore Paschali, teneatur eo tempore saltem modo laico communicare; quemadmodum enim non excusantur fideles à communione Paschali quod alio tempore communicauerint, ita nec sacerdos excusatur, quod alio tempore celebrarit, & diuino præceptum de sacrificio offerendo impleuerit.

Aduerte 2. quod licet per se non sit præceptum, ut sacerdotes sæpius in anno celebrent, omnino tamen sit consulendum, ut frequenter id faciant, cum sint mediatores inter Deum, & populum, pro quo sacrificia offerant. hinc Concilium Trid. sess. 23. cap. 14. de reformatione grauius monet Episcopos, ut curent sacerdotes celebrare saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus. Et hæc quidem dicta sint de sacerdotibus non aliunde adstrictis ad celebrandum.

Quod si aliunde obligentur, debent per se, vel per alios iuxta modum obligationis sacra celebrare, unde beneficiarius, qui ratione beneficii debet aliquoties in septimanâ celebrare, debet saltem curare celebrari loco, & tempore præfixis in litteris foundationis. quod si non possit quoad circumstantias, vt v. g. quia locus est dirutus, vastatus &c. debet nihilominus ipsa sacra persolvere. Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 4. in fine, censet Episcopum

posse dispensare cum studio in Academiâ extincti, ut alio loco, tempore, celebret quam in loco beneficii, similiter ex quauis aliâ causâ iustâ.

Idem proportionem dicendum de pastore, quod scilicet teneatur ex officio per se, vel per alium procurare sacra celebrari diebus Dominicis, & festis, ut populus eius rem diuinam audiat, & præcepto satisficiat, immò teneatur etiam alijs diebus, ita ut non possit saltem frequenter sacrum omitti in parochia; nam quamuis fideles non teneantur singulis diebus sacro interesse, quia tamen officium pastoris eum ad longè plura obligat respectu sui populi, quam ad ea, ad quæ præcisè populus obligetur, scilicet ad vtilitatem gregis sui, & bonum spirituale procurandum per media communia, efficitur, quod debitum officij eum obliget ad procurandum, ut fideles non fraudentur sacrificio instituto à Christo ad Ecclesiæ & fidelium vtilitatem, unde in maioribus parochiis pastor videtur debere procurare ut sacrum singulis diebus celebretur, quia moraliter loquendo in similibus locis plures desiderant rei diuinæ interesse, in minoribus non videtur tam stricta obligatio inducenda: unde si in aliquo pago vix vlli intersint sacro diebus feriatis, pastor non videtur teneri sacrum singulis diebus procurare: nam spectatis moribus illius populi esset ei nimis graue, nec facile obligandus est sub graui peccato ad sacrum per se, vel per alium celebrandum quamuis aliquot sacrum audire cupiant, nisi, moraliter loquendo, sint plures, nam licet teneatur procurare spirituales vtilitates subditorum, etiam quo tempore ij nullo præcepto adstringuntur, id tamen moraliter est intelligendum, & ita ut non censetur propterea nimium grauari: esset autem nimium onus pastoris, si quo tempore alij non tenentur sacrum audire, ille teneretur quotidie celebrare, eò quod pauci quotidie sacrum audire cupiant. res hæc ergo moraliter est perpendenda, spectatâ populi frequentia, & provisione multorum ad sacrum audiendum. Pastorem non teneri singulis diebus sacrum celebrare ratione officij in genere loquendo insinuat Trid. sess. 23. cap. 14. citato.

Aliqui existimant quod in Ecclesiâ Cathedrali, vel Collegiata & numeroso monasterio, debeat singulis diebus sacrum celebrari.

D V B I V M II.

Utrum liceat sacerdoti singulis diebus celebrare?

Resp. licere non legitime impedito. ita communiter Doctores, & colligitur ex cap. *Consulisti*, de celebratione Missarum.

Peculiaris est difficultas de tribus diebus, scilicet de Feriâ 5. & Sabbatho hebdomadæ sanctæ. aliqui sentiunt iis diebus non posse Missæ sacrificium offerri, in Feriâ 6. absolute, alijs verò, excepto sacro solemnibus. verum

Dico 1. non est illicitum Feriâ 5. hebdomadæ sanctæ præter sacrum solemne alia celebrare. ita plures Doctores, Nau. cap. 25. num. 88. & alij.

Probatur, nulla lex vel consuetudo obligat, ut eo die plura sacra non fiant: nam quod pauci celebrent, non arguit eos non posse, vel consuetudinem id prohibere, cum, remanente potestate celebrandi, id variis de causis possit contingere, ut quia sacerdotes impediuntur exicipiendis confessionibus,

127. Pastor teneatur per se vel per alium procurare celebrari in sua Parochia etiam diebus non festis.

In maioribus Parochiis pastor teneatur procurare sacrum singulis diebus.

Conclusi. licet celebrare Feriâ 5. hebdomadæ sanctæ. Nauar. Cur multi non celebrent illâ Feriâ 5.

fessionibus, quia denudantur altaria, vel quia ad imitationem Apostolorum cupiunt communicare ex manu Praepositi, vel Rectoris Ecclesiae. Confir. ex praxi, in plerisque enim templis praeter solemne sacrum aliqua alia solent celebrari, Episcopis non repugnantibus.

Non est verò necessitatis, ut ea sacra celebrentur ante solemne, quamvis id sit decentius.

Petes, an ad sacrum eo die faciendum opus sit licentiâ superioris? ita indicat Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 2. §. *hic primum*, sed probabilis est hanc licentiam per se non requiri, quia id nullo sufficienti fundamento ostenditur.

Dico 2. non licet Feriâ 6. maioris hebdomadae Missam celebrare, habetur can. *Sabbato*, de consecratione, dist. 3. & passim tenent Doctores.

Confirm. quia nulla Missa pro eo die ab Ecclesiâ est instituta; signum ergo est, quod nolit sacrum eo die celebrari, cuius congruentiam adfert D. Thom. hic ad 2. *Nostrium sacrificium est figura, & exemplum Domine passionis, & ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur prout realiter est gesta, non celebratur consecratio Sacramenti.*

Porro, ut patet ex conditione materiae, transgressio huius praeccepti est mortalis, ut Nau. suprà, & Sotus loco citato, §. *hic primum* annotato, & plures alij. unde sacerdos eo die consecrans peccat mortaliter, cum non possit fieri consecratio, nisi offeratur sacrificium, & Missa celebretur.

Solum eo die unus sacerdos sumit hostiam pridie consecratam sine sanguine. falsum enim est per immixtionem particulae hostiae in vinum in calice positum vinum in sanguinem conuertere, cum hac conuersio fiat per sola verba formae à Christo institutae. unde reiicienda sententia, quae ab Amalario lib. 1. de Ecclesiastico officio, cap. 15. refertur scripta in ordine Romano, quod scilicet in Parasceue calix consecratur permixtione particulae hostiae cum vino.

Difficultas est, num eo die liceat modo laico communicare? quidam negant, quia can. *Sabbato*, citato, qui refertur ex Innocentio 1. epist. ad Decentium cap. 4. dicitur. *Sacramenta penitus non celebrari isto biduo*, scilicet Feriâ 6. & sabbato maioris hebdomadae. adferuntur & quaedam alia, quae tamen nullam vim iuris, vel consuetudinis obligantis obtinent: quamvis ergo fideles non soleant eo die communicare, nullâ tamen lege vel consuetudine vetantur etiam sub veniali: celebratio enim Sacramentorum, de qua can. citato, non significat communionem, seu Sacramenti administrationem, sed Missae sacrificium, & Sacramenti consecrationem.

Ex occasione quaeritur quid sit facturus pastor habens duas parochias, si Feriâ 5. maioris hebdomadae consecravit hostiam in monumento reponendam, an scilicet possit in die Parasceues in utraque parochia communicare, & officium illius diei in utraque parochia celebrare? ratio dubitandi est, quod sacerdos immittat partem hostiae in vinum non consecratum. Aliqui celsuerunt id posse, etiam sumpto vino; verum id merito passim reiicitur, quia neque ius, neque autoritas ostendit licere, non seruato ieiunio, eo die communicare. itaque videtur

Dicendum 1. pastorem debere substituere alium pro alterutra parochia, si facile id possit.

Dicendum 2. si non possit procurare alium, pridie in alterutro loco non consecraret hostiam reponendam in monumento si parochiae sint vicinae.

Dicendum 3. quod si parochiae ita distent à se inuicem, ut populus unus non possit ad Ecclesiam alterius conuenire, vel quacumque alia de causa id non possit commodè fieri, ita ut videatur in utroque loco debere celebrare officium Parasceues, in priori non ponatur vinum, & aqua in calice, ut solum hostiae partem sine ablutione fumere possit, & ieiunus possit celebrare in secundo loco. quod si vinum vel ablutionem sumperit, non potest secundo celebrare, sed eo casu debet hostiam pridie consecratam in secundo loco decenter in sacristia &c. reponere.

Dices, sacerdos non potest celebrare, nisi seruat ritibus Missalis, quos non potest seruare in primo loco, si velit in secundo celebrare.

Resp. id quidem ostendere, quod secundo loco diximus, scilicet esse magis consultum ut eo die solum in vno loco officium celebretur, non videri tamen concludere nullo vnquam euentu aliter fieri posse.

Dico ergo sacerdotem graui de causa posse celebrare, etiam si forte ritus non ita grauis seruari non posset, quod in nostro casu contingit, nam ritus mittendi vinum in calicem, & mittendi particulae hostiae in vinum, non videtur ita grauis, ut si seruari nequeat, frequens aliqua parochia debeat carere officio illius diei, praefertim accedente consuetudine Episcopis & superioribus ecclesiasticis satis perspectâ.

Maiores est difficultas de sabbato, in quo constat ex can. citato non licuisse olim Missam celebrare, nunc autem est indubitatum licere celebrare Missam solemnem, consuetudine canonici detrahente, & Missam, quae in nocte Resurrectionis Dominicae erat celebranda, retrahente ad tempus matutinum diei sabbati.

Quoad alias aliqui censent non esse derogatum antiquae consuetudini. Nau. suprà, Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 3. Vasquez disp. 232. cap. 2. & alij.

Verum alij contrarium sentiunt: Sotus §. *hic primum* annotato citato, Suarez disp. 80. sect. 2. §. *tertius dies*, & alij: quorum sententia videtur probabilior, pro qua

Dico 3. sacerdotes possunt etiam in sabbato sancto celebrare, contraria consuetudine, quoad eum diem can. citato derogante, scientibus & tacentibus Episcopis

D V B I V M III.

Utrum liceat saepius in die Missam celebrare?

S VPERNO id neque iure diuino, neque naturali esse illicitum, quod etiam à posteriori potest ostendi, cum in die Natiuitatis liceat tres Missas celebrare, & dicatur Leo Papa septem, vel etiam nouem Missas in die celebrasse, quamvis autem id ita se habeat,

Iure canonico cautum est ne plures Missae vno die ab eodem celebrentur. patet cap. *consulisti*, quod est Innocentij 3. & cap. *Tereferente*, quod est Honorij 3. de celebratione Missarum. Ab hac lege excipitur 1. dies Natiuitatis Domini, in quo licet plures Missas celebrare, ut patet tum ex cap. *consulisti* citato, tum ex Missali, in quo tres praescribuntur, non est tamen obligationis, ut singuli sacerdotes tres Missas eo die celebrent, quamuis concessum sit, ut possint celebrare, si velint.

Excipitur

129.

Non requiritur licentia ad celebrandum eo die.

Conclus. 2. Non licet Feriâ 6. hebdomadae sanctae.

Transgressio est mortalis.

Falsum est eo die per immixtionem particulae hostiae vini in sanguinem verri.

Nullâ lege vel consuetudine vetantur fideles eo die communicare.

103. Petisie.

Resp.

Excipitur 2. causa necessitatis. nam praedicto cap. consulti, dicitur, respondens quod excepto die Natiuitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam sollemnem celebrare, quia vero Pontifex illam necessitatem vltius non explicat, sed videtur reliquisse iudicio prudentis determinandam, varij auctores plures casus congerunt, quibus liceat saepius in die celebrare.

Primo, si quis tanquam pastor deseruiat duabus parochijs, potest diebus Dominicis & festis duas Missas celebrare, vt parochiani satisfaciant praepcepto de sacro audiendo. in hoc casu facile omnes Doctores conveniunt, immo aliqui eum solum admittunt, vt Vasquez disp. 232. cap. 5. in fine existimans in alijs non subesse necessitatem.

Adverte pastorem in hoc ipso casu non posse bis eodem die celebrare, si commodè possit substitutum procurare, nam quamvis subditi teneantur die Dominico, aut festo sacrum audire, nihilominus in ea circumstantia respectu pastoris nulla est necessitas secundum sacrum celebrandi, quia in re forte aliqui pastores rurales nimis liberè procedunt celebrantes promiscuè utroque loco sibi subdito, ne stipendium dare debeant substituto, quem facile habere possunt.

Praeter hunc casum aliqui censent secundo sacerdotem posse iteratò celebrare si aliquo loco moris sit, vt corpora defunctorum non sepeliantur sine sacri celebratione.

Tertiò, pro benedictione nuptiarum.

Quartò, si die festo superueniant peregrini, qui aliàs sacrum audire non possent.

Quintò, si infirmus deberet aliquo carere viatico. hos ponunt Palud. in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 4. post quartam conclusionem, Antoninus 3. parte, titulo 13. cap. 3. §. 5. Sylu. verbo *Missae*, quaest. 7. Nau. cap. 25. num. 87. Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 2. §. *sed huius occasione*, Toletus lib. 2. c. 3. sub finem.

Addunt Sylu. Nau. Sotus, Toletus sextum casum, cum scilicet superuenit persona, quam non decet sacrum ommittere, qualis est Episcopus, plures casus congerit Sylu. supra, & tandem ille & Nau. docent necessitatem quae iudicio prudentis censetur vrgens, sufficere, vt secundum sacrum ab eodem sacerdote vno die celebretur. videri etiam potest Sa, verbo *Missae*, num. 24. & Viçt. nu. 96. qui plures casus ex alijs refert, quamvis varios non ita probet.

Notandum i. communi consensu etiam eorum, qui casus multiplicat, non posse secundum sacrum celebrari fracto ieiunio naturali, etiam per sumptionem ablutionis in sacro, quod etiam intelligitur de sacerdote, qui in priori sacro aquam loco vini posuisset in calice, & sumpisset, nam licet hic aduertens non fuisse vinum, debeat vinum cum modica aqua in calice ponere, consecrare, & sumere, non tamen potest aliud sacrum eodem die facere, quia non est ieiunus: quamvis enim possit, & debeat sacrificium inchoatum perficere etiam non ieiunus, non potest tamen nouum inchoare.

Ex his patet varios casus enumeratos non ita esse practicos, quia si sacerdos non prouideat secundum sacrum sibi esse celebrandum, non facile relinquet ablutionem, & ita non poterit pèrgere ad secundum sacrum celebrandum. si verò prouideat se debere celebrare pro aliquo defuncto, vel pro benedictione nuptiarum, communiter potest & debet aliud sacrum ommittere, quia communiter nulla est necessitas illud celebrandi, cum populus possit satisfacere praepcepto audiendi sacrum au-

diendo id, quod pro benedictione nuptiarum, aut defunctis celebratur. similiter in 4. casu non potest subesse iusta necessitas, cum sacerdos praesciens venturos peregrinos, possit sacrum in illo- rum aduentum differre, vel, si differre nequeat, longè minùs sit incommodum peregrinos sacrum non audire, quàm illud eodem die iteratò celebrari. quod etiam de 6. casu censeo. Idem sit iudicium de pluribus casibus quos congerit Sylu. qui parum inducunt necessitatem.

Notandum tamen 2. necessitatem non videri ad primum casum restringendam. Certè si Pontifex illam solum intellexisset, non ita terminis generalibus fuisset locutus, sed in specie expressisset, ne in hac re satis graui daretur errandi occasio, & multiplicandi casus contra Ecclesiae voluntatem. Cum verò necessitas in primo casu posita non sit ita vrgens (quandoquidem praepceptum de sacro audiendo non ita stricte intelligitur, quin plurimis euentis fideles excusentur ab eius obseruatione, vt passim Doctores, qui de illo tractant) facile patet necessitatem aliquam, licet non extremam, sufficientem esse causam saepius in die celebrandi, si quis ieiunus permaneat, & alius non possit facile haberi, qui sacrum possit celebrare. videri potest Azor. lib. 10. cap. 24. §. *excipiunt tamen* & sequenti 1. parte institutionum moralium.

Vnde existimo in ijs circumstantijs posse aliquem iteratò eodem die celebrare, vt si in parochia valde frequenti totus populus non posset ad vnum sacrum conuenire, & propterea necesse esset plura celebrari. nam hoc casu non videtur minùs iusta necessitas, quàm in primo supra relato, & ab omnibus admisso. quid enim refert quod populus sit in vna, vel pluribus parochijs, si, moraliter loquendo, non possit illi vnico sacro satisfaceri? 2. si in die valde solemni deberet fieri sacrum de defuncto, tunc enim posset etiam celebrari de festo, cum celebritas diei non videatur facile permittere, vt sacrum diei omittatur, nec videatur ea mens Pontificis, cum generalibus terminis id fieri concesserit, si causa necessitatis suadeat. 3. si pastor habens duas parochias debeat in vtraque exequias celebrare, nec possit iuxta morem locorum differre. 4. si finis vno loco concurrat cum benedictione nuptiarum in alio celebranda, vel duae benedictiones in diuersis parochijs eiusdem pastoris, quando non possunt commodè differri, quia etiam in his casibus est iusta necessitas, spectata locorum consuetudine, immò etiam si in vno solum loco talis occasio praebatur, si in alia parochia sit frequens populus, quem non conueniat priuari sacro, pastor possit bis celebrare, quemadmodum is, qui habet duas amplas parochias, quia est grauis causa. videri potest Suarez disp. 80. sect. 5. sub finem.

Adverte tamen pastores in his non debere se nimium extendere, nec facile debere iteratò eodem die celebrare propter causam, quae illis videatur iusta, nisi ex iudicio vel permissione Episcopi, & praesertim vbi Episcopi sibi reseruant causae cognitionem, & vt sine sua concessione nullus eodem die sacrum bis faciat.

Dices, quamvis, spectatis verbis legis, non solum primo casu possit aliquis iteratò eodem die celebrare, sed etiam quibusdam alijs, accedere praesertim consuetudine, quae olim videtur fuisse laxior, moderna tamen consuetudo contraria ita legem interpretatur, vt in solo primo casu liceat, ita Viçt. & Vasquez supra.

Resp. neg. assumptum, nam si esset talis consue-

Minus est incommodum peregrinos non audire sacrum, quàm ab eodem iteratò celebrari.

Casus quibus ex sententia Auctoris licet in die possit bis celebrare.

137.

Viçt. Vasq.

tudo obligans, moderni, qui contrarium sentiunt, eam non ignorarent. Dico ergo esse vñ magis receptum vt pastor, qui plures habet parochias, sæpius diebus Dominicis, & festis celebret, quia illa necessitas frequentius occurrit, inde tamen non sequi quoad alios casus consuetudinem contrariam vigere, cum in ijs, vtpote rarissimis, vix possit notari quid sit in vñ positum.

Coroll. ex casu viatici.

Ex his patet, quid dicendum in casu viatici. si enim hostiæ consecratæ feruentur in pyxide pro infirmis iuxta morem Ecclesiæ, non occurret necessitas secundi sacri faciendi. similiter, si ante sacrum referatur sacerdoti infirmum debere communicare, 3. si idem referatur ante communionem sacerdotis, cum eo casu possit particulam suæ hostiæ in illum vñm referuare, vt alibi diximus. 4. si referatur post ablutionem sacerdos non potest iteratò celebrare, cum non sit ieiunus. 5. si verò referatur ante ablutionem, poterit secundo celebrare, cum illa sit iusta necessitas, nam communio moribundi est maior necessitas, quàm auditio sacri, vt præcepto Ecclesiastico fatissiat, verum is casus est rarissimus, qui moraliter accidere non potest.

138.

Petitio.

Petes, an quando licet sæpius celebrare, liceat tantum secundo sacrum facere? ita sentit Palud. supra, & Sotus art. citato §. *Paludanus*, verum id neque iure, neque ratione probari potest, vnde dico, si occurrant eadem circumstantiæ respectu tertij sacri, posse aliquem etiam tertio celebrare.

Resp. posse etiam tertio celebrari.

DUBIVM IV.

De horâ, quâ licet Missam celebrare.

139.

PRÆSENS dubium potest intelligi de horâ, ante quam non liceat sacrum inchoare, & de horâ, post quam non liceat celebrare.

Conclus. 1. Non licet communiter ante auroram. S. Thom.

Dico 1. secluso privilegio communiter non licet celebrare ante auroram, in eâ autem licet, est communis Doctorum, S. Tho. hic responsione ad 4. Rich. dist. 13. art. 2. quaest. 3. Dur. eadem dist. quaest. 2. Soti quaest. 2. art. 2. §. *quarto arguitur*, & communiter aliorum. Quamvis autem nulla lex scripta videatur esse, consuetudo tamen recepta hac in parte est instar legis, & ex eâ varij docent esse mortale sine causâ notabiliter tēpus præuenire.

Est mortale sine causâ notabiliter præuenire. Aurora apparet ferè sesqui-hora ante ortum solis.

Porro aurora est, cum lux solis incipit apparere supra nostrum hemisphærium; vnde licet sacrum tunc inchoare incipit verò apparere pœnè sesqui-hora ante ortum solis, vnde tunc citra privilegium licet sacrum celebrare, immò aliqui censent sacerdotem posse sacrum inchoare pœnè duabus horis ante ortum solis, quia sentiunt sufficere ita inchoari, vt non finiatur ante auroram. ita Suarez disp. 80. sect. 4. §. *secundo inquiri potest*, quam sententiam videtur probare consuetudo, quæ viget plerisque in locis, vt scilicet in hyeme sacra etiam absque privilegio, & vrgenti necessitate pœnè duabus horis ante ortum solis inchoentur.

Consuetudine ferè duabus horis ante ortum solis celebratur.

140. Licet celebrare ante auroram.

Dixi, communiter, quia varijs casibus licet celebrare ante auroram. primo die Natiuitatis licet Missam inchoare ab initio diei naturalis, quod aliqui intelligunt de primo sacro. Syllu. verbo *Missæ* 1. quaest. 6. Nau. cap. 25. num. 87. Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 5. & plures alij, existimantes eum, qui in die Natiuitatis duas posteriores Missas ce-

lebrat ante lucem mortaliter peccare, probantque ex can. *nocte*, de consecratione dist. 1. Verum alij probabilius censent non solum primam posse celebrari ante lucem, sed & reliquas.

Resp. itaque, licet in sacro solemniori interdictum aliquod ex consuetudine sit seruandum, quoad priuata tamen nullam temporis distinctionem necessariò seruandam, sed posse omnes, & singulas de nocte celebrari, vel etiam omnes, & singulas de die, quia contrarium neque iure, neque ratione sufficienter potest probari, & pro nostra sententiâ facit praxis etiam timoratorum, neque vrget canon, *nocte*, quia non dicitur solam primam Missam nocte celebrari, sed ita; *nocte Natiuitatis Domini & Missas celebrent*; ex qua non colligitur potius quòd vnicam celebrent, quàm quòd plures. Confirm. sacerdotes non tenentur eo die plures Missas celebrare, nec tenentur vllam determinatam accipere, potest igitur prætermitti primam secundam, vel tertiam dicere, & quidem de nocte, iuxta concessionem Telephori canon. citato.

Dices: quæ dicuntur in huiusmodi Missis non satis quadrant isti tempori.

Resp. 1. posse aliquo modo singulas Missas illius diei adaptari diei & nocti, vt varij adaptant.

Resp. tamen 2. non esse necesse, vt omnia, quæ in sacro recitantur, adaptentur tempori, quòd dicuntur, sufficit si adaptentur tempori, ad quòd referuntur, quòd in præsentia cernitur. nam quamuis prima Missa pleno die fieret, nihilominus, quæ in eâ recitantur, optimè conuenirent tempori, quòd mysterium in eâ representatum est peractum.

2. Hora potest præueniri; vt possit viaticum præberi infirmo, quò casu verius est non requiri licentiam Episcopi, licet aliqui requirant.

3. Potest etiam præueniri vt opifices, & viatores possint sacrum audire, idque habet consuetudo passim in Belgio, & in alijs locis recepta.

4. Authores communiter tradunt Episcopum iter facientem posse tempus præuenire, vel dare alteri licentiam præueniendi, vt sacrum audiat; & quamvis nulla lex Episcopo huiusmodi tribuat facultatem, illi tamen patrocinatur, quòd cum alijs possit dispensare, vt tempus ordinarium præueniant.

5. Idem iudico de quolibet graui causa, vt si sacerdotes sint valde occupati in confessionibus excipiendis, poterunt tempus præuenire, cum ea causa non debeat censeri minus iusta, quàm iter ineundum, vel opera præstanda ab opificibus.

In conclusione dixi, *seposito privilegio*, quia aliqui religiosi habent facultatem celebrandi vñ vel alterâ horâ ante auroram, vnde aliqui iuxta privilegium amplitudinem possunt ferè duabus horis cum mediâ, vel tribus cum mediâ celebrare ante ortum solis, immò iuxta sententiam Suarez ferè tribus, vel quatuor horis.

Contra resolutionem facit prædictum decretum Telephori in quo dicitur: *Reliquis verò temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebranda*. Resp. huic decreto contrariâ consuetudine hac in parte esse derogatum.

Quæ dicta sunt, intelliguntur de Missis priuatis, nam pro Missis solemnibus debet seruari tempus vñ præfixum, quòd in Ecclesijs Collegiatis vel Cathedralibus aliud est diebus feriatis, aliud verò solemnibus, & ieiunijs, & hæc de priori dubij parte.

De posteriori maior est difficultas. Nauarr.

enim

enim cap. citato, num. 85. censet licere Missam celebrare usque ad nonam, id est tertiam pomeridianam, addens, se id frequenter fecisse in itinere, & privilegia hac in parte pluribus dari solita concedi ad sedandos scrupulos, & solum continere ius commune. De horâ idem docuit Dur. quæst. citata, & plures antiquiores.

Sed Doctores communissimè contrarium sentiunt. Rich. suprâ, Vict. num. 97. Sotus art. citato. §. *privilegium autem*, Henriquez cap. citato num. 6. Toletus lib. 2. cap. 1. num. 8. Suarez sect. citata, conclus. 2. & plurimi alij, iuxta quorum sententiam

Dico 2. tempus legitimum intra quod sacra communiter celebrari debent, est antemeridianum, ita ut ante duodecimam, seu meridiem inchoari debeant.

Probat ex consuetudine, quæ licet superioribus sæculis fortè non fuerit uniuersalis, vel de eâ non ita constare, iam tamen non potest merito in dubium reuocari. unde licet Dur. possit excusari, nullo tamen modo sententia Nauarri uniuersim sumpta potest hoc tempore ad praxim deduci absque peccato, & ut videtur graui, quamuis Toletus suprâ, de gravitate peccati subdubitet, quod confirmari potest ex Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis in Missa, ubi dicit: *edicto & panis canonicæ* (scilicet Episcopi) *ne sacerdotes alij quam de his horis celebrent.*

Dixi, communiter, quia in aliquo casu sacrum potest inchoari etiam post meridiem. 1. si necesse sit ad præbendum infirmo viaticum. 2. ut peregrini sacrum die festo audire possint, vel si sacerdos iter faciens non possit die festo ante meridiem celebrare. 3. si aliquo festo celebri sit periculum, ne plures sacrum non audiant propter officij prolixitatem. 4. ex concessione Episcopi in casu particulari. 5. si instituat solemnem supplicatio, cui sacrum succedat. in his & similibus casibus sacrum potest post meridiem inchoari, non tamen differri usque ad horam 3. si casum viatici excipiamus.

Aduerte 1. in festis solemnibus, dedicatione templi, vel exequijs alicuius magnatis sacrum solemne facit solere proferri notabiliter ultra meridiem, quibus casibus tempore illius sacri licitum est etiam absque privilegio priuatum sacrum inchoare post meridiem. nam quamdiu durat summum sacrum, debet ceteri tempus idoneum pro alijs celebrandis, immò in festo solemnibus potest sacrum priuatum inchoari summo sacro decantato, ut dictum est.

Aduerte 2. quod plures recentiores notant, nos non debere esse magnopere anxios de meridio, sed posse paulò post meridiem sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non est lege determinata, non definitur termino indiuisibili ex ipsamet consuetudine, & parum reputatur pro nihilo.

Aduerte 3. aliquos ex privilegio posse etiam vnâ, vel alterâ horâ sacrum post meridiem inchoare.

Dubitari hæc potest, num celebrationi Missæ matutinum sit præmittendum? ita censent varij, videturque confirmari ex Missali Romano de ritibus Missæ. Sed plerique recentiores censent cum Soto art. 2. citato in fine non esse obligationem sub gravi peccato; ita Toletus cap. 1. citato. §. *alterum verbum est*, Sa verbo *Missæ*, num. 22. Suarez disp. 82. sect. 1. Lessius lib. 2. de virtutibus cap. 37. dub. 12. in fine, quia ex nullo iure, vel consue-

tudine obligante potest ostendi, quòd recitatio matutini sit dispositio necessariò prærequisita celebrationi Missæ, cum propriè non habeant inter se necessariam connexionem, sed matutinum solum requiratur tanquam tempus conueniens, ut manè recitetur, & non nimium differatur, non verò quòd celebratio faciat per se requiratur, ut prius recitetur. Confirm. plurimum sententiâ, ut peccatum mortale euitetur, sufficit officium quacumque horâ diei naturalis recitare.

Hæc sententia est probabilior, secundum quam dicendum est nullum esse peccatum sacrum facere matutino non recitato, si causa subsit, ut si sacrum valde manè sit celebrandum, quòd si nulla subsit, omnium sententia est aliquod peccatum, sed horum sententia non nisi veniale propter aliquam indecentiam, & quia id non solet fieri sine dilatione ultra tempus conueniens recitationi matutini. ubi obiter

Aduerte sub matutino laudes etiam comprehendendi, quæ frequentius cum matutino legi solent, & sine rationabili causâ non debent sacro postponi. non est eadem ratio de primâ, ante cuius recitationem sacrum potest celebrari citra omne peccatum.

Ad id quod ex Missali adfertur, Resp. inde solum haberi matutinum communiter præponi, neque sacrum absque rationabili causâ solere fieri ante illius recitationem, non verò haberi commit-ti graue peccatum si matutinum postponatur.

ARTICVLVS III.

Utrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo, & vasis sacris?

RESPONSIO, quæ ex solutionibus argumentorum elicitur, est affirmatiua. In solutione tertij ostendit cur templa consecrentur, de quorum erectione & dedicatione plerique docti hoc tempore scripserunt, inter quos Bell. tomo 1. lib. 3. de Ecclesia.

DVBIVM I.

Utrum sacrificium intra Ecclesiam necessarium sit celebrandum?

RESP. communiter id esse necessarium, ita S. Tho. resp. ad 1. & 2. & passim Doctores: patet ex varijs canonibus de consecratione, dist. 1. can. *sicut*, qui est Felici 4. can. *Missarum solemnium*, ex Concil. Triburien. can. *hic ergo*, ex Clemente, can. *nullus presbyter*, ex Sylu. ex quibus patet Ecclesias debere esse ab Episcopo consecratas, quod statutum est ad maiorem reuerentiam huius Sacramenti & ad maiorem fidelium deuotionem excitandam.

Aduerte 1. quamvis olim requireretur ut loca essent ab Episcopo consecrata, postea tamen consuetudine licitum fuisse celebrare in Ecclesiâ solum benedictâ, immò autoritate Pontificis, vel Episcopi sufficere loca ad celebrandum destinata, benedictâ, sine alia speciali consecratione vel benedictione. Potestas videri potest Angelus verbo *Missæ*, num. 40. Sylu. eodem verbo, quæst. 5. dicto 3. & plures alij.

Aduerte 2. potestatem Episcoporum in designandis locis non benedictis per Trid. restringi, ut patet benedictis ex sess. 22. decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, ubi dicitur: *Nene patiantur*